

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris  
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

De figuris eius. 6

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38725**

scipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat.  
Ad primum ergo dicendum, quod ex eisdem  
nutrimur, ex quibus sumus, non tamen eodem modo  
nobis aduenientibus. Nam ea ex quibus sumus, nobis  
adueniunt per generationem: eadem autem in  
quantum ex eis nutrimur, nobis adueniunt per man-  
ductionem. Vnde & sicut per baptismum regene-  
ramur in Christo, ita per eucharistiam manducamus  
Christum.

Ad secundum dicendum, quod eucharistia est sa-  
cramentum perfectum Dominicæ passionis, tamquam  
continens ipsum Christum passum: & ideò non po-  
tuit institui ante incarnationem. Sed tunc habebant  
locum sacramenta, quæ erant tantum præfiguratiua  
Dominicæ passionis.

Ad tertium dicendum, quod sacramentum istud  
fuit institutum in cœna, vt in futurum esset memo-  
riale Dominicæ passionis, ea perfecta. Vnde signan-  
ter dicit, Hæc quotiescumque feceritis, de futuro  
loquens.

Ad quartum dicendum, quod institutio respon-  
det ordini intentionis. Sacramentum autem eucha-  
ristia, quamvis sit posterius baptismo in perce-  
ptione, est tamen prius in intentione: & ideò de-  
huit prius institui. Vel potest dici, quod baptismus  
iam erat aliqualiter institutus in ipso Christi baptis-  
mo. Vnde & iam aliqui ipso Christi baptismo erant  
baptizati, vt legitur Ioan. 3.

## ARTIC. VI.

*Vtrum agnus Paschalis fuerit præcipua figura  
huius sacramenti?*

431  
*inf. q. 8. o. ar. 10. ad 2. q. 4. d. 3. q. 1. ar. 2. q. 2. d. 3. q. 3. a. 3. q. 3. ad 3.*  
A D sextum sic proceditur. Videtur, quod agnus  
Paschalis non fuerit præcipua figura huius sa-  
cramenti. Christus enim dicitur sacerdos secundum  
ordinem Melchisedec, propter hoc, quod Melchise-  
dech gessit figuram sacrificij Christi, offerens panem  
& vinum. Sed expressio similitudinis facit quod  
vnum ab alio denotaretur. Ergo videtur, quod ob-  
latio

latio Melchisedech, fuerit potissima figura huius sacramenti.

¶ 2 Preterea, Transitus maris rubri fuit figura baptismi, secundum illud 1. Cor. 10. Omnes baptizati sunt in nube & in mari. Sed immolatio agni paschalis precessit transitu maris rubri, quem subsecutum est manna, sicut eucharistia sequitur baptismum. Ergo manna est expressior figura huius sacramenti, quam agnus Paschalis.

¶ 3 Preterea, Potissima virtus huius sacramenti est, quod introducit nos in regnum cælorum, sicut quoddam viaticum. Sed hoc maxime præfiguratum fuit in sacramento expiationis, quando Pontifex intrabat semel in anno cum sanguine in sancta sanctorum: sicut Apost. probat Hebr. 9. Ergo videtur, quod illud sacrificium fuerit expressior figura huius sacramenti, quam agnus Paschalis.

SED contra est, quod Apost. dicit 1. Cor. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.

RESPONDEO dicendum, quod in hoc sacramento tria considerare possumus, scilicet id quod est sacramentum tantum, quod est panis & vinum: & id quod est res & sacramentum, scilicet corpus Christi verum: & quod est res tantum, scilicet effectus huius sacramenti. Quantum igitur ad id quod est sacramentum tantum, potissima figura fuit huius sacramenti oblatio Melchisedech, qui obtulit panem & vinum. Quantum autem ad ipsum Christum passum, qui continetur in hoc sacramento, figuræ eius fuerunt omnia sacrificia veteris testamenti: præcipue sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum. Quantum autem ad effectum, fuit præcipua eius figura manna: quod habebat in se omnis saporis suavitatem (vt dicitur Sapient. 16.) sicut & gratia huius sacramenti, quantum ad omnia reficit mentem. Sed agnus Paschalis quantum ad haec tria, præfigurabat hoc sacramentum. Quantum enim ad primum, quia mandu-

cab-

cabatur cum panibus azymis , secundum illud Exodi 12. Edent carnes & azymos panes . Quantum vero ad secundum , quia immolabatur ab omni multitudo filiorum Israel decimaquarta luna , quod fuit figura passionis Christi , qui propter innocentiam dicitur agnus . Quantum vero ad effectum quia per sanguinem agni Paschalis protecti sunt filii Israel a deuastante angelo , & educti de Aegyptiaca servitute . Et quantum ad hoc ponitur præcipua figura huius sacramenti , agnus paschalis : quia secundum omnia ipsum repræsentat .

Et per hæc patet responsio Ad obiecta .

## QVÆST. LXXXI V.

*De materia Eucharistia , quantum ad speciem , in octo articulos diuisa .*

**D**EINDE considerandum est de materia huius sacramenti . Et primo , de specie materiæ . Secundo , de conuersione panis & vini in corpus Christi . Tertio , de modo existendi corpus Christi in hoc sacramento . Quarto , de accidentibus panis & vini , quæ in hoc sacramento remanent .

¶ Circa primum quæruntur octo .

¶ Primo , vtrum panis & vinum sint materia huius sacramenti ?

¶ Secundo , vtrum ad materiam huius sacramenti requiratur determinata quantitas ?

¶ Tertio , vtrum materia huius sacramenti sit panis triticeus ?

¶ Quarto , vtrum sit panis azymus , vel fermentatus ?

¶ Quinto , vtrum materia huius sacramenti sit vi- num de vite ?

¶ Sexto , vtrum sit admiscenda aqua ?

¶ Septimo , vtrum aqua sit de necessitate huius sacramenti ?

¶ Octavo , de quantitate aquæ , quæ apponitur .

A R.